



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 60. Decimæ subtractæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

orationem postea affirmavit causam Episcoporum multo meliorem esse.

æcul. XIII.
A C. 1282.

Invenimus reapse Papæ Martini litteras initio anni sequentis datas, per quas confirmat Fratribus Minoribus potestatem concionandi, audiendique confessiones sacras; sed hanc subjungit clausulam notatu dignam: Volumus, ut ii, qui confitebuntur his Fratribus, quotannis saltem semel suis confiteri Parochis teneantur secundum sanctionem Concilii; & ut Fratres ad hoc eos solícite ac efficaciter exhortentur. Dabat 10 Jan. 1282.

to. II. conc.
p. 1144.

§. LX.

Decimæ subtractæ.

Postquam Rex Siciliæ Carolus Martino IV indicaverat se crucem induisse ad ferendas terræ sacre suppetias, Papa expeditionem promoturus illi decimas omnium proventuum ecclesiasticorum Sardinia ac Hungariae, si Rex Ladislaus consentiret, ad sexennium concessit ea lege, ut intra tempus, quod sacra Sedes præstitueret, vel Rex Carolus ipse, vel filius ejus natu major Carolus Salerni Princeps cum idoneo militum numero Palæstinam peteret. Volumus autem, addebat Papa, illum, cui decimæ delatæ fuerint, per sufficientes cautiones

Rayn. 1282.
n. 5.

Sæcul. XIII.
A. C. 1282.

nes Ecclesiæ dandas curare, ut, si propter obitum aliudve impedimentum exequi votum nequeat, decima ad Ecclesiam Romanam redeat in Palæstinæ bonum convertenda. Cæterum nos aut curiam nostram obligare nolumus, si forte decimas ob casum aliquem non accipiat: & reservamus nobis facultatem statuendi de illis aliud, si hoc esse opus viderimus, antequam vobis tradantur. Hoc diploma datum est 18 Martii an. 1282.

to. II. conc.

p. 957.

Sup. Lib. 86.

§. 50.

Hæ decimæ ad sexennium Lugduni, an. 1274, cum ibi secundum ageretur concilium, decretæ fuerant, non in sessionibus publicis, sed in colloquiis privatis, quæ Papa Gregorius X cum Archiepiscopis habuerat. Et vero magnæ difficultates occurrebant in colligenda hac decima. Archiepiscopus Magdeburgensis provinciale concilium celebravit, in quo prohibuit, ne illa solveretur. Conradus Episcopus Osnabrugensis, & quidam alii eam in suos usus derivarunt. Alii, ut Siffridus Archiepiscopus Coloniensis, eam partem subduxere. Quidam Princeps, velut Rex Norvegiæ, vetuerunt, ne pecunia extra terras suas aveheretur. Denique summa illa, quæ percepta erat, brevi alium in usum, quam in emolumentum terræ sacræ impensa fuit.

§. LXI.